Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2257
Quelle:
Copyright:

perdita castitate, hoc initio: *Anima mea anima erumpnosa* &c. Et jam transsilitur ad *Orationem* in Edit. XX. *Pro accendendo dei amore*, cujus initium: *Domine ihesu christe redempcio mea misericordia mea* &c. Hanc demum excipit *Oratio* inscripta: *Pro venia impetranda*, quae *Anselmi* Editoribus incomperta fuisse videtur; non enim illam in Edit. *cit.* reperio. Ejus initium est: *Suscipiat pietas tua domine deus meus preces humilitatis mee. Ego miserrimus ad te piissime deus confugio pregrauatus sarcina peccatorum incurvatus pondere criminum profundis ignorancie tenebris obuolutus* &c. *Anselmo* non indigna, verum, quod dolendum, jam cum *pag.* 2. in his verbis: *Inclina cor meum deus ad amorem tuum, ut te ex toto corde et ex* — — abrumpitur.

XVI. *fol.* 205. p. 2. *Tractatus*, ut e calce praeoccupo, *de Corpore Christi venerabilis Magistri Stanislai de Znoyma.* De hoc Viro jam saepius actum. Thema Tractatus habes in primis ejus verbis: *Visum est non esse inutile quod quidam Tractatus de non remanencia ipsarum substanciarum panis et vini post consecracionem in sacramento altaris per aliqua motiua ad utramque partem contradictionis inclusiue usque ad conclusionem katholicam in hac materia protendatur* &c. Ad calcem omnia submittuntur judicio *Sbinconis* Archiep. *Prag.* qui ab a. 1403 — 411. Sedem tenuit.

DXCI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc. 143. f. currente calamo scriptus et olim *Wenceslai Rossii Pressorovini* Sacerdotis *Boh.* ut *folium ult.* testatur, sequentia continet: I. Collectanea quaedam de *Eucharistia* et *Poenitentia*, adjunctis *Casibus Episcopo* et *Papae reservatis.* Principium deficit, primaque verba sunt: *nichil aliud percipit quam saporem panis, oculis videt colorem panis, auribus audit fracturam* &c. 189

II. *fol.* 12. succedit Tractatus asceticus absque Autoris nomine, *de gratia, virtutibus* cum generatim tum speciatim, et *Extremis*, quae homini accidunt, in *Capita*, seu *Sermones* CXXV. tributus, praefixo cuivis themate biblico. Ita C. I. incipit: *Gracia dei et misericordia in sanctos eius, et respectus in electos illius. Sap. 4. Sic dicit beatus Bernhardus in libro suo de libero arbitrio. Deus hic tria in nobis operatur* &c. Ultimum vero finit: *Item crimen lese maiestatis temporale est servitus perpetua. Similia exempla videmus cottidie.* Adjacet sequens rubrica: *Explicit liber iste Anno Domini M° CCCC° XXXI° et sferia quarta infra octauas Visitacionis virginis marie*, et Index capitum.

III. *fol.* 138. p. 2. *Incipit summa aurea bonaventure de gradibus virtutum et primo ponitur Caritas.* Initium Opusculi est: *Infimus*